

vamus tamen omnium locorum praedictorum, et praedicti Monasterii Advocatiam, seu Abbatiam cum medietate decimarum omnium pageriae titulo, ad dictum Vice-comitem Asinarium, praefati territorii Dominum, suosque ad successores et haeredes, vel ad alios, qui ab eo, seu haereditariâ, seu emptivâ, vel dotalitiâ ratione jus habuerint, dummodo praefato Orgellitano Episcopo, qui nunc est, vel pro tempore fuerit, ab eo, vel à successoribus arcutiae persolvantur. Caeterum si quis Dux, aut Comes, seu Vice-comes, seu Vicarius, aut Graffio, vel Potestas terrae, vel Judex, vel alius è nostris fidelibus in futurum huic Regiae dignitatis, sivè auctoritatis Praecepto, litem, vel aliquam controversiam, aut interpretationem, seu dubium inferre tentaverit astu malignitatis; Sanctae et individuae Trinitatis iram incurrat, et offensam B. Mariae sustineat, et in districto, ac tremendo aeterni iudicii examine, eam adversariam inveniat, sitque anathema; atque reus Divinae Majestatis, atque humanae iudicetur; et temeritatis suae poenas exindè persolvat, et congrua omni poenitentia, secundum Ecclesiasticas Leges, Deo et B. Mariae Virgini in sexduplum satisfaciat. Et ut haec nostrae Praeceptionis auctoritas à Fidelibus omnibus Sanctae Dei Ecclesiae, et nostris, in istis Regni Francorum partibus, et in illis citerioris Hispaniae, et Regni Gotthici finibus, nostro Imperio subjectis et subjiendis, verius, et firmiter credatur, et diligentius observetur; eam manu propria subscripsimus, et Annuli nostri impressione signari jussimus. Signum ✠ Caroli gloriosissimi Regis. Rangenfredus, Notarius ad vicem Ludovici Abbatis recognovit. Data duodecimo Kalend. Februarii, anno quinto Regni praestantissimi Caroli Regis, Indictione octava. Actum in Compendii Palatio Regali, in Dei nomine feliciter. Amen.

APÉNDICE NÚM. 5.

Carta de san Eulogio al obispo Welisindo.

Reverendissimo et Sanctissimo Dei ministro Domino et patri meo Wiliesindo Pampilonensis Sedis Episcopo, Eulogius presbyter salutem:

Olim, beatissime Papa, cum dira saeculi fortuna, quae fratres meos Alvarum et Isidorum à genitale solo abducens, penè in ulte-



riores Togatae Galliae partes apud Hludovicum regem Baioariae exulare fecit: cum me etiam propter eos diversas adire regiones, et ignota atque laboriosa itinera subire compelleret (quoniam stipata praedonibus via, et funeroso quondam Wilihelmi tota Gothia perturbata erat incursu, qui adversum Carolum regem francorum eo tempore auxilio fretus Habdarrahmanis regis Arabum, tyrannium agens, invia et madibilia cuncta reddiderat) ad partes Pampilonenses diversus, putaveram me inde citò migraturum. Sed ipsa iterum, quae Pampilonem et Seburicos limitat Gallia comata, in excidium praedicti Caroli contumaciores cervices factionibus comitis Sancii Sancionis erigens, contra jus praefati Principis veniens, totum illud obsidens iter, immane periculum commeantibus ingerebat. Eo tempore magnam mihi consolationem Beatitudo tua in ipsa peregrinatione exhibuit. Et verè summi magistri typum gerens, et in veritate ejus praeceptis obediens, non distulisti hospitio recreare, quam tibi vera caritas Jesu Christi commendaverat, dicentis: Hospes eram, et collegistis me. Ita thesauros meritorum apud patrem in coelis collocare studens, praebes necessaria destitutis, foves omnia, universa tutaris: adeò ut in illo exilio meo nihil praeter affectuosam peregrinorum fratrum et destitutae familiae praesentiam suspirarem. Lugebam ego saepè, sed tu pater assidue consolabaris moerentem: flebam multum; sed tu pia compassione relevabas prostratum. Quandoquidem juxta Apostolum mecum infirmabaris, mecum tristabaris, plangebasque ubertim, cum ego plorarem. Cumque me uno residere loco multiplex dolor non sineret, libuit mihi loca visitare Sanctorum, quo dejectum summis moeroribus animum relevare.

2. Et maximè libuit adire beati Zachariae ascysterium, quod situm ad radices montium Pyrenaeorum in praefatae Galliae portariis, quibus Aragus flumen oriens, rapido cursu Seburim et Pampilonam irrigans, amni Cantabro infunditur: quod famosissimis in exercitatione regularis disciplinae studiis decoratum, toto refulgebat occiduo. Sed tu pater juvas anhelantem, et salutari consultu instruis abeuntem, pioque fratrum comitatu foves pergentem. Prius autem quam ad eundem locum accederem, plures apud Legerense monasterium commorans dies, praecipuos in Dei timore viros ibidem manere cognovi. Deinde alia atque alia loca peragrans, tandem divino munere ad illud, quod saepius desiderabam, perveni coenobium. Praecerat

quippè ei tunc Odoarius Abbas, summae sanctitatis magnaëque scientiæ vir, qui, ultra quàm referri potest, nos dignè suscipiens, omnem erga nos humanitatem exhibuit.

3. In illo etenim beatae congregationis collegio, quod penè centenarium numerum excedebat, veluti sidera coeli, alii quidem sic, ceteri vero sic, diversis meritorum virtutibus emicabant. Florebat in nonnullis perfecta caritas Christi quae foris mittit timorem: plerisque alto culmine extollebat humilitas, qua sese unusquisque juniore inferior reputans, imitatores praeceptorum Dei fieri contendebant. Multi etiam cum essent corpore imbecilles, virtute tamen magnanimitatis subnixi, alacrioribus animis injunctum exercebant obsequium. Sic quoque in aliquos principatum suum obedientiam (quae omnium virtutum magistra est) vindicans, suos non patiebatur executores degenerare; sed supra vires grandia exercere compellebat, quoscumque suo munere illustraverat. Operabantur omnes certatim; alter alterum invitans, contendebat praecellere. Augebatur invicem ardor placendi Deo et fratribus, et unusquisque propriae artis industriam ad communem profectum exercitabat. Exercebant alii peregrinorum et hospitem diligentius curam et quasi declinanti Christo ad hospitia eorum, omnibus adventantibus obsecundabant. Cum verò tot essent, nullus murmurans, nemo arrogans intererat. Studebant cuncti silentio, totamque per noctem furtivis precibus incumbentes, nocturnum chaos pervigili meditatione vincebant; magna se circumspicione valentes, ne Psalmistae denotarentur oraculis, qui ait: *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt.*

4. Sed quid referre de Sanctorum virtutibus lingua potest mortalis, qui in terris positi angelicè degunt? Et qui licèt inter homines conversentur, propositum verò gerunt coeleste? Cum quibus paululum commorans, cum ab eis vellem discedere, omnes solo prouunt, pro se exorare deposcunt, et cùm tam cito à me desererentur, supplici prece conquerebantur. Praestabat quippè tunc mihi carissimus filius meus Theodemundus diaconus comitatum, qui ab exordio itineris mei usquè in ultimum inconvulsibiliter contubernio meo cohaerens, mecum totius discrimina illius peregrinationis confecit. Regredientibus ergò nobis, praebent sodalitatem Abbas ille venerabilis Odoarius, et Joannes Praepositus, per totum usquè in vesperum diem colloquium de divinis Scripturis gerentes. Sic quoque ab invicem datis

osculis discedentes, ad te, Apostole Dei, è vestigio repedavimus, cujus informatione tanta honoris venerabilitate ab illis patribus excipi meruimus.

5. Igitur cum propium revisere arum, piaë matris Elisabeth seu sororum duarum Niolæ et Anullonis, juniorisque fratris Joseph urgerer affectu; cogis, ut adhuc remaneam, nec sinis abire moerentem. Sed utroque vulnere percussus, cor meum tu jam mederi non poteras, cui et peregrinatio fratrum, et desolatio domesticorum quotidianum afferebant lamentum. Ita de nostra caritate confixus, rogas ut Cordubam repetens, ipse reliquias tibi sancti martyris Zoyli dirigerem, et hoc munere Pampilonenses populos illustrarem. Illicò me satisfacere petitioni tuae, respondi; et hujus rei debitorem me vobis esse in veritate promisi.

6. Cumque à vobis egrederer, festinus Caesaraugustam perveni causam fratrum meorum, quos vulgi opinio negotiatorum cohortibus interesse nupè ab ulterioris Franciæ gremio ibidem descendentes jaclitabat. Deinde urbi appropinquans, negotiantes quidem reperi, peregrinos autem meos eorum relatione apud Maguntiam nobilissimam Baioariae civitatem exulasse cognovi. Et verum fuisse hoc negotiatorum nuntium, regredientibus Deo favore succedenti tempore ab interiori Gallia fratribus nostris, didicimus.

7. Aliquandiu verò apud Seniores Pontificem, qui tunc rectis vitae moribus eandem urbem regebat, demorans, postea Complutum descendi, raptim per Segonciam transiens civitatem, in qua tunc praesulatum gerebat vir prudentissimus Sisemundus. Et cùm de antistite Complutensi Venerio dignè susceperer, post quintum diem Toletum reverti, ubi adhuc vigentem sanctissimum senem nostrum, faculam Spiritus Sancti, et lucernam totius Hispaniae Wistremirum Episcopum comperi: cujus vitae sanctitas totum orbem illustrans, hactenus honestate morum celsisque meritis catholicum gregem refovet. Multis apud eum diebus degimus, ejusque angelico contubernio haesimus.

8. Cùmque in domum me revocassem, cuncta incolumia reperi, genitricem scilicet binasque sorores, et ultimum nostrorum omnium aetate Joseph, quem saeva tyranni indignatio eo tempore à principatu dejecerat. Suscipit peregrinum suum destituta familia, et quasi è sepulchro suscitatum laetantibus animis gaudet revisse post lon-

gum tempus Dominum. Ego verò semper in omni colloquio meo te patrem extollens, semper inter familiares sermocinationes tuam beneficentiam recolens, semper tuae caritatis affectum corde gestans, mentis ulnis amplector.

9. Et quia intercedente terrarum prolixa capedine, multis ab invicem disparatur spatii, obstante quoque aliò chaos immane, quo ego Cordubae positus sub impio Arabum gemam imperio, vos autem Pampilonâ locati, Christicolae principis tueri meremini dominio, qui semper inter se utriusque gravi conflictu certantes, liberum commeantibus transitum negant; inde est, vel quòd non debitum vestrae bonitati dependimus famulatum, vel quòd non pio desiderio vestro satisfacimus in transmissione Reliquiarum, seu quia non quibuscumque tales tantasque opes committere duximus ratum. Nunc autem, quia Deo dispensante, Domnus Galindo Enniconis ad propria remeans, suos revisere fines exoptat; per ipsum vobis praefati martyris Reliquias destinavimus. Sed et sancti Acisli, quas à nobis non postulatis, transmisimus, ut vos sponsionis vestrae votum feliciter adimplentes, eorum beatae memoriae construendo Basilicam, nobis Deo fautore propter hanc obedientiam patrocinium illorum occurrat ad veniam. Christo vobis omnia repensante atque donante, quae in nobis egistis, et quae erga nos operati estis: quem vestrum in nos olim exhibitum non latet obsequium, et pia remuneratione centuplicatum vobis valet rependere commodum, qui dixit: *Qui vos recipit, me recipit; et qui vos spernit, me spernit: et qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet; et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* Cuncta tibi, Pater, reposita sunt coram Domino. Omnia apud illum, quae piis laboribus tuis debentur, salva et incolumia perseverant, recipienda ab eo tempore necessario, cum justus iudex advenerit, unicuique reddere pro qualitate laborum, aut praemium, aut supplicium.

10. Denique, beatissime Pater, nolumus vos ignorare tribulationem nostram, quam his diebus nostro praepediente deliquio sustinemus, ut solito nos propensius orationum clypeo defendentes, vestrae intercessionis irrepudiabili merito, quod multum apud Dominum valere confidimus, è profundo taediorum labyrintho erui mereamur. Etenim anno praesenti, qui est Era octingentesima octuagesima nona, exardescens saevus adversus Dei Ecclesiam furor tyrannicus omnia

subvertit, cuncta vastavit, universa dispersit, retrudens carcere Episcopos, Presbyteros, Abbates, Levitas, et omnem clerum: et quoscumque illa tempestate capere potuit, ferro devinctos, quasi mortuos saeculi subterraneis specubus immersit. Inter quos ego ille peccator amabilis vester devinctus sum, et unà pariter omnes horridos ergastulorum luimus squalores. Viduavit Ecclesiam sacro ministerio, privavit oraculo, alienavit officio: et non est in hoc tempore nobis oblatio, neque sacrificium, neque incensum, neque locus primitiarum, quo possimus placare Dominum nostrum: sed in anima contrita, et in spiritu humilitatis reddimus Christo vota laudationis, ità ut à conventu desinente psalmodiae cantu, resonent penetralia carceris murmure sancto hymnorum. Quae omnia prudenti relatione Domnus Galindo vobis enucleatim poterit enarrare: quia nos partim moerore depressi, partim fastidium impolitae orationis vitantes, suis limitibus schedulam coarctavimus, ne in modum commentarii brevitatis transiret epistolaris.

11. Propter futurarum autem generationum saecula illustranda, et ut expertes nostrarum tribulationum, et aerumnarum non fierent, saltim vel pauca è plurimis perstringamus. Quidam enim presbyterorum, diaconorum, monachorum, virginum, et laicorum repente zelo divinitatis armati, in forum descendentes, hostem fidei repulerunt, detestantes atque maledicentes nefandum et scelerosum ipsorum vatem Mahomat; et hoc modo contra eum animosum spiritum erigentes, testimonium protulerunt: «Virum hunc, quem vos summa veneratione excolitis, et cuius sectam praestigiosam instinctu «daemoniorum elicitam tanto honore suscipitis, magum, adulterum, «et mendacem esse cognovimus, ejusque credulos aeternae perditionis laqueis mancipandos confitemur. Quare ergo vos, cum sitis homines prudentissimi, talibus sacrilegiis communicatis, et non «potius Evangelicam veritatem intenditis?»

12. Haec et his similia, prout Spiritus dabat eloqui eis, in conspectu Regum et Principum confitentes, omnes gladio vindice interempti sunt. Quorum decisa corpora stipitibus suspendentes post aliquot dies igne cremarunt, eorumque cineres fluvialibus aquis perdendos merserunt, pleraque verò inhumata prae foribus palatii relinquentes, volucris canibusque devoranda exposuerunt, adhibitibus custodiis militum, ne quis Christianorum intuitu humanitatis car-

nibus nudata cadavera sepeliret, sicut scriptum est: *Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus coeli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrae: effuderunt sanguinem eorum velut aquam in circuitu Hierusalem, et non erat qui sepeliret.* Quorum nomina diesque allisionum in fine epistolae digeremus. Hujus rei causa nos devincti manemus, propter hoc compediti existimus: nostro deputantes instinctui, nostraeque informationi ascribentes, quicquid illi divinitus illustrati egerunt. Unde quaesumus, ut suffragia orationumstrarum in defensionem nostram adhibeatis, nostrumque carcerem omnibus monasteriis vestris innotescere facialis, et ut prona pia exhortatione invigilent, jubeatis: ita post peractum luctamen mundi de aeterno praemio exultetis.

13. Sane salutationum officia, quae dudum alias proferendo, omisimus, nunc cernua mente persolvimus, vosque feliciori serie temporum vigere exposcimus. Petentes, ut salvam honoris vestri reverentiam, non dedignemini nobis salutare amabiles et carissimos patres nostros, id est, Fortunium Legerensis monasterii Abbatem, cum omni collegio suo, Athilium Cellensis monasterii Abbatem, cum omni collegio suo, Odoarium Serasiensis monasterii Abbatem, cum toto agmine suo, Scemenum Igalensis monasterii Abbatem, cum omni collegio suo, Dadilanem Hurdaspalensis monasterii Abbatem, cum omni collegio suo. Salutamus etiam ceteros patres, quos in peregrinatione nostra tutores et consolatores habuimus, omnemque scholam Dominicam in osculo sancto.

In nomine Domini, regnante in perpetuum Domino Jesu Christo, anno Incarnationis ejus octingentesimo quinquagesimo, Era octingentesima octuagesima octava, decimo quarto Kalendas Majas, Perfectus presbyter occubuit.

Sequenti vero anno, qui nunc est, Era octingentesima octuagesima nona, tertio Nonas Junias, Isaac monachus decidit, post quem Sancio Laycus de oppido Albensi, nonas Junias in hac ipsa Era, martyriali obitu triumphavit.

Deinde Petrus presbyter, Walabonsus diaconus, Sabinianus, Wis-tremundus, Habentius, et Hieremias monachi, uno die, unaque hora septimo Idus Junias, in Era supradicta interempti sunt.

Sisenandus vero diaconus decimo septimo Kalendas Augustas, eadem Era prostratus est.

Paulus diaconus decimo tertio Kalendas Augustas, Era qua supra allisus est.

Theodemirus monachus, octavo Kalendas Augustas eadem Era occisus est.

Isti sunt, qui tradiderunt corpora sua in morte propter testimonium veritatis, ut in aeternum viverent. Siquidem et duas virgines Christi Floram et Mariam, nobis cum ob eandem professionem nunc in Ergastulum detruserunt, et quotidie de interitu comminantur.

Data decimo septimo Kalendas Decembris per Galindum Enniconis virum illustrem, Era octingentesima octuagesima nona.

APÉNDICE NÚM. 6.

Concilium Cojacense, pro reformandis Ecclesiae moribus. Celebratum in Dioecesi Ovetensi tempore Ferdinandi I Regis Castellae, cognomento Magni. Aera 1098, Anno Christi 1050, Leone IX Papa.

PRAEFATIO.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Ego Ferdinandus Rex, et Sanctia Regina, ad restorationem nostrae christianitatis fecimus Concilium in Castro Cojana, in Dioecesi Ovetensi, cum Episcopis et Abbatibus, et totius regni nostri Optimatibus. In quo Concilio praesentes fuerunt Froilanus Episcopus Ovetensis, Ciprianus Legionensis, Didacus Asturicensis, Syrus Palentinae Sedis, Gomes Visocensis, Gomensius Calagurritanus, Joannes Pampilonensis, Petrus Lucensis, Cresconius Iriensis.

CAPITULA.

I. In primo igitur titulo statuimus, ut unusquisque Episcopus (*Ecclesiasticum Monasterium MS. Tol.*) Ecclesiarum ministerium cum suis Clericis ordinate teneat in suis sedibus.

II. In secundo statuimus ut omnes Abbates se et fratres suos, et Monasteria, et Abbatissae se et moniales suas et Monasteria secundum B. Benedicti regant statuta: et ipsi Abbates et Abbatissae cum suis congregationibus et coenobiis sint obedientes per omnia subditi suis Episcopis. Nullus eorum recipiat Monachum alienum aut Sanc-